ELEAZARIS DVNCONI

SS. THEOL.

APVD BRITANNOS

Professoris Celeberrimi

CAROLO I° Τεσμαχάριος

A SACRIS

DE ADORATIONE

DEI VERSVS ALTARE.

DETERMINATIO

Cantabrigiæ habita Mar-

tij 15. 1633.

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE

Pro gradu Doctoratus.

EDITIO POSTHVMA.

M. DC. LX.

18-152

LECTORI S.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

QVantâ implevit *admiratione* nuper *Christianum orbem*, quantâque insuper *consternatione* perculit subita adeò, & inexpectata *Rerum Britannicarum* mutatio, quisquis es, Amice Lector, & in quocunque

cunque Terrarum angulo
dicaris latuisse, nequeas
ignorare. Serenissimo *Carolo* postliminium reverso, &
aperto Animorum, aliàs
discordantium, consensu,
plausuque manuum, flexu
que genuum, *altiùs, summissiúsque* excepto, gratu
lantur omnes, etiam quo
tandem pudet exulantem
neglexisse, aut afflictum re
jecisse pœnitet. Quod a
Ecclesiam interim specta

Britannica

Britannicam, per bina jam penè decennia, in pulvere suo & ruderibus jacentem, haud ita multos apud exteras Gentes reperiri audio, qui non ipsi mallent in mollem quandam ac fluidam humum lapsabunda ejus fundamenta demittere, quàm accepta duriori areâ ab *Architecto Cæsare* stabiri denuò, & celsiùs exciari. Hanc obstinatæ mentis duritiem, & perversi affectus

ctus morositatem licèt alijs ignoscam, qui *Ædes sacras* in tantum extruxere, ut quæ in usum munimentumque Religionis parari debeant, nunc *periculo* potius, quàm *præsidio*, ei esse videantur; alijs tamen, quorum humiles casas, & luto oblita paleato tuguria, contra hostium, incendio grassantiũ, copias defendimus; quorum *Templa*, siqua jactent magnifica, aut erigenda

cinximus armatâ manu; aut ab intentatâ demolitione vindicavimus, hanc etiam votorum licentiam nequeo indulgere, multo minùs verborum luxuriam, passim occurrentium, aut tacitè pati, aut non indignanter reprimere. *Episcopos* scilicet, quos tumultuariâ vi excussos noverint, & coactis depulsos suffragijs, relevari nolunt, nisi nomine tenus, ambiguâ cujus

notatione

notatione fallantur, & æquivoco fallant populum officio. Quibus ita *proventus* invident & *prædia*, trabali clavo Ecclesiæ affixa, ut perpetuum mallent piaculum *Sacrilegij*, quàm ut restitutis gaudeant fundis *Antistites*, quò vel pauperes alant, vel, ex *Paulino* præcepto, hospites lætiùs liberaliùsve excipiãt. Actum etiam volunt de *Decimis*, aliisque certis quibuscunque

reditibus

reditibus, in Sacerdotale Officium & Ordinem, religiosâ Anteceſſorum charitate, piâve conſuetudine, collatis; ut ad populi placitum loquantur omnia, & alantur; ut mercenario fungantur opere; ut emendicatis vivant ſtipendijs, corrogatiſque oſtiatim pecunijs; id optant ſeriò *Confratres* chariſsimi, ne dicam imperant *Eccleſiæ Ephori*, *Epoptæ* ſc. *Britanniæ Reformandæ.*

manda. Haud manus abſtinent à *Sacrâ Liturgiâ*, quam membris aliquot, *Confirmatione* præſertim *Epiſcopali*, detruncandam expetunt, expectantve diminuendam cæremonijs, ut *Baptiſmum* ipſo *Chriſtianiſſimi ſignaculo*. Taceo cætera, quæ *Ardeliones* hoſce in poſterum etiam velim taciturnos, ni Clementiſſimum *M. Britanniæ* Regem, Sacros Ordines ad Cano-

nem

nem ſuum, h e. *antiquum*, diſtinguentem; proſtratam Eccleſiæ (ſuæ ſcilicet) Diſciplinam erigentem; nec alias ad *Divina Officia* revocantem Cæremonias, quàm ab Antiquis Chriſtianorum Patribus, praxique publicâ auctoratas, haud fruſtrà ipſis infenſum reddiderint; aut, læsâ nimis noſtratium *Præſulum* patientiâ, tantos viros quotidianis iſtiuſmodi ſuſurris, &

rumoribus ambulatorijs, provocatos, ad Veritatem integram nudamq; proferēdam, volentes nolentesque, compulerint, scilicet:

1. *Reformatæ Galliæ legitimas Ordinationes, licitumque Ministeriū in sacris peragendis, nondum satis Ecclesiæ Christianæ, h.e. indubiè constitisse: nec enim sufficit dicere, Institutor*

noſter & præformator Calvinus; * poſteriorem nempe ſeparatorem oſtendunt.

* Prior Epiſcopatum haud abrogavit.

2. * Neminem Chriſtianum animam ſuam ambiguis Paſtoribus poſſe tutò & fidenter committere.

* Vide Tertul. de Præſcript. cap. 23.

3. Nemini licere in Catholicâ aliquâ Eccleſiâ nato, edocto, educato, Templarijs horum Miniſterijs participati-

vè

re (si sic loqui liceat) interesse, præsertim Eucharistiam aut sedentariam, aut Trãsitoriam, celebrantibus communicare; pro corpore Dominico panem haud Benedictum accipere; viniq; calices, sine gutiâ sanguinis Dominici, exhaurire.

4. Non licere Sacerdoti Catholico ad sacram Synaxin purè-pa-

narium aliquem Ministrum admittere, nisi abdicatâ priùs temerariâ Euangelij administratione; nec suorum Laïcorum quempiam, nisi eorum abrenunciato in sacris commercio.

5. Inordinatos Galliæ Ministros, absque Episcopali manuum impositione, Benedictionéque, Præbendarum, Canonicatuum, aut quorum-

cunque

cunque Beneficiorum Ecclesiasticorum, apud Britannos, esse incapaces.

6. An Rex Christianus intra suos limites pati debeat sacra Publica sub ambiguo Gallorum Ministerio, jure merito posse dubitari.

7. Quorum dogmata (& facinora Christianis, Catholicis, semper olim pacificis, exosa)

bella

*bella civilia, h.e. armatas contra proprios Reges, & Principes, subditorum Copias, aut manifestò propugnant, aut non damnant, aut * frigidiùs excusant, eorum publicas ad Populum etiam Britanni-cum conciones non sine periculo esse audiendas, non sine metu aliquo scandali tolerandas.*

8. *Inter Ecclesiam*

* Legantur scripta Galliæ Reformatæ, ipsius etiam Mosis Amyraldi, utcunq; viri moderatissimi, atque cautissimi Apologia.

verè Catholicam, h. e. in Publicis Officijs Precibusq; Primitivæ æmulam, & Congregationem prorsus ἀλειτούργετον. Inter Christianã nempe, & eatenus saltem, Antichristianam (qualem nominat, ubi abest sacra Liturgia, etiam Modestiæ Corculum, celeberrimus * Hammondus) frustrà tentari aliquem Syncretismum.

* Præf to his Com. on the Pss.

9. Ecclesiam

9. *Ecclesiam Britannicam à Gallia Reformatâ in articulo Fidei, uno saltem (si in cæteris conveniant) de Christi ad Inferos descensu dissentire.*

Hæc, & alia istiusmodi quamplurima (quæ in tantilli operis Propylæo invidiosè fortè viderentur congesta) si Venerandi *M. Bri-*

tanniæ

tanniæ Antiſtites, ex præſcripto *Antiquæ Eccleſiæ*, aut Cenſuris notârint, aut liberiùs diſcutiendas permiſerint, quicquid otij *Galliæ Reformatæ* à domeſticâ lite, controverſiâque ferò finiendâ, ſuppeteret, in ſuâ re Religioneque, quali quali ſtatuminandâ potiùs, quàm noſtrâ perturbandâ, cautiùs & pru-

dentiùs

dẽtiùs insumeret. Quòd si illi (quorum impetratâ pace, salvâque Reverentiâ, dictum voluerim) non *intempestivo* solùm, sed *periculoso* malint uti *silentio*, hi magis importunâ adhuc frui *satagentiâ*, mihi sufficit animam liberâsse; meque in re severissimâ, tempestateque, quantum sentio, com-

modissimâ,

modiſsimâ, quotidianarum calumniarum impulſu, in noſtrorum Principum Procerumque, præſertim *Eccleſiaſticorum*, capita jactarum, excitatum, monitorem, * minatoremve, præſtitiſſe.

* Parcant voculæ uni, alterive novæ in rebus plurimis Novatores.

Sed præſentis fortè inſtituti rationem reddendam, ſuſpenſus animi, Lector expectaverit, meque alieni operis

ris invaſorem, edito-
remve nimis officio-
ſum, aut excuſatum
voluerit, aut pro *ſemi-*
plagiario damnatum.
Sciat ergò mihi adhuc
in Gallijs verſanti, invi-
to harum injuriarum
teſti, paratiſsimoque
vindici, ubi alij abſint,
Eccleſiæ Britannicæ, de
morte *Eleazaris Dun-*
coni, magni nominis
apud *Anglos* Theolo-
gi,

gi, *Gallis*, *Italis*, *Græciſque* ipſis, inſigni morum probitate, variæque literaturæ venuſtate, notiſsimi, ingratiſsimum nuncium *Livorniâ* allatum; quo me licèt humano more affectum noverim, &, vt veterem digniſsimi viri clientem decuerit; poſt *ſedecim* tamen *annorum* exilium, aut didicit *Ratio*, ſæpius exer-

cita

cita, hujuſmodi moleſtias citiùs depellere, aut diuturnâ rerum deſperatione Animus, vix optimâ earum converſione molliendus, ad dolorem novum quemcunque obdureſcere. Quicquid ſit, certè me *Pijs Manibus* litare poſſe acceptiùs cogitavi, & *Duncono* noſtro ſolenniùs parentare, ſi *Determinationem* hãc

de

de *Adoratione* apud *Britannos* olim usitatâ, denuóque, uti spero, renovandâ, quam graviorum Virorum calculis comprobatam, & plurimorum *Academicorum* gratissimo murmure exauditam meminerim, non diutiùs paterer in tenebris delitescere ; sed, quæ novissimorum temporum injuriâ forté aliàs

perijsset,

perijſſet, ad perpetuam viri pientiſsimi, ſimul ac literatiſsimi, memoriam; ad *Eccleſiæ Britannicæ* vindicias, ſelectiſsimorum *Rituum* obſervantiæ deditiſsimæ; ad *Furiarum* denique, *forenſium* præſertim, aut ſedandam, aut caſtigandam inſaniam, (ne quibus tantùm non ἀρπολάβαι, coram tremendo *Sacra-*

menti

menti Mysterio γονυκλισίας censemur, ijsdem coram *Altari* vacuo adorantes, λιθολάτραι pariter, aut ξυλολάτραι videamur) *Determinationem*, inquam, hanc, ratione summâ judicioque perpensam, authoritate optimâ nixam, stylo compto, ac pereleganti, conscriptam, in lucem publicam emitterem. Quam

mei

mei operam gratuitam quiſque probas boni conſulat, & valeat.

Cadomi 23.
Sept. 1660.

RI. VVATSON.

R. VVATSON.

DE ADORATIONE
Dei versus Altare.

In Dei nomine. Amen.

✠

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE

NOn ignotum est vobis, opinor, *Auditores Academici*, rumorem quendam, non ita pridem, hîc & ubique ferè, increbuisse, quo ad omnium aures perlatum fuerat, me quæstionem scilicet novam, & inauditam, in *Comitijs* discutiendam

proposuisse, *De Adoratione* nimirùm, quam Deo solemniter exhibemus *versus Altare*. Profectò non erat mihi tunc temporis in animo disputationem eâ de re instituere; quamvis probè, sat scio, consultóque feciſſem, si antiquam illam *procidendi*, & *adorandi*, consuetudinem ab hesternis convitijs, & putidis calumnijs, vindicâssem, eamque piam admodùm, & religiosam, in ipsâ lectissimorum Arbitrorum coronâ, pro virili asseruissem; Verùm ad graviora dogmata ventilanda me, tam propensio mea, quàm superiorum mandata, restrinxere. Nunc autem *Theologicam Determinationem* in Dei nomine aggredienti, certè non alia mihi occurrit quæstio, vel ratione temporis magis opportuna, vel ratione instituti mei magis accommoda, vel fortassis, ratione novitatis magis exoptata, quàm ea quam mihi inscio, malefe-

riati imprimis, obtruſere, *De Adoratione.* De eâ itaque mihi nunc agendum decreui, ne pergant ſcilicet prædicti homuli (cùm facile ſit inventis addere) & paſſim jactent, me quæſtionem illam, mihi in manus vltrò oblatam, utcumque reſpuiſſe, immò & illud ipſum, quod quotidie factitare ſolemus, nos non poſſe, vel non audere, vel ſaltem nolle, ſemel palam defendere. Quæritur igitur

Vtrùm Adoratio verſus Altare, quâ Deum Opt. Max. in ingreſſu ad Domum ejus, & rurſus in egreſſu, & quoties in Diuinis Officijs obeundis nos

coram

coram Altari ſiſtimus, proin ſuppliceſq; venera-mur, licita ſit, pia, & laudabilis, antiquæ Catholicorum praxi conformis, & hodiernis Novatorum calũnijs minimè obnoxia.

LIquidò ſatis conſtat, tam ipſius veritatis, quàm officij mei rationem poſtulare, ut partem affirmativam, ijs, quibus potero, argumentis, defendere annitar, & ratiunculis è contra propoſitis breviter, & dilucidè, reſpondere. Quod quidem faciliori operâ effectum dedero, ſi ea quæ in hac Quæſtione confuſa ſunt, priùs accuratè diſtinguantur, ſi quæ

fortean obſcura viſa fuerint, paulò enucleatiùs explicentur, & quæ à pleriſque vltrò conceduntur, tanquam rata, & indubia, ſupponantur. Ordiar, ſi placet ab his vltimis.

In primis itaque ſupponendum eſt, *locum aliquem ab Eccleſiâ deſignatum, Sacella nimirùm, Templa, & Baſilicas ad publicum cultum Deo exhibendum, ad ſacra officia peragenda, ad munera Eccleſiaſtica obeunda neceſſariò oportere deſtinari.* Quod adeò verum eſt, ut non ſolùm ſacræ Paginæ, & ſanæ Rationis, ſed & ſolis radio ſcriptum & exaratum eſſe videatur. Siquis iverit inficias, *naviget Anticyras*, per me licet; ipſam profectò Religionem funditùs evertit, pietatem & ſanctitatem in exilium adigit, Chriſto Deoque bellum pro viribus indicit, quiſquis hominum eſt qui loca ſacra vel deſtruxit, vel non agnoſcit.

Secundum

Secundum ſuppoſium, ab hoc primo exortum, ſit hujuſmodi. *Omnes Chriſtiani, ſi Domini noſtri præcepta cuſtodire, & ſacra veſtigia premere velint, tenentur adire iſtiuſmodi loca, Deo ſacriſque deſtinata, ut inibi vota faciant, orationes & gratias Deo offerant, & eidem debitum cultum, & venerationem, exhibeant.* Hujus ſuppoſiti manifeſta veritas eâdem luce claret, quâ prius. Nam eo fine ſeparantur *Baſilicæ* à prophanâ rerum colluvie; ideò dedicationem & conſecrationem ſolemni ritu ſortiuntur, vt in ijs populus Catholicus denſo agmine, & quaſi manu factâ, frequenter coactus, Deum in Domo ejus, communibus omnium & publicis officijs, & obſequijs, venerentur. *Domus mea Domus Orationis vocabitur omni populo*, inquit Propheta. *Adorate Dominum in decore ſanctitatis*, inquit Pſaltes.

Sit

Sit hoc tertium ſuppoſitum, ex iſtis duobus deductum. *Religioſus ille cultus publicus; Deo in æde ſacrâ ab omnibus exhibendus, non debet eſſe mancus ac mutilus, quaſi animam ſolam exigeret, ſecluſo corpore; vel corpus ſolùm obſtringeret liberâ animâ; ſed perfectus ſit oportet, & integer, ex vtriuſque ſcilicet obſequio compoſitus, totum hominem, & totum hominis, ad ſervitutem, & debitam diligentiam, firmiter obligans; animam priùs, vt ſit cultus ſincerus, ab intimis præcordijs enatus, minimè fictus, & hypocriſin redolens; dein etiam & corpus, vt ſit cultus viſibilis, exemplaxis, & teſtibus expoſitus; vt ſit humilis admodum, &, quàm fieri poteſt, demiſſus, internam animæ reverentiam candidè exprimens, eamque mirum in modum adaugens & perficiens.* Theſin hanc de amicâ ac neceſſariâ corporis & animæ in ſacris peragendis conſpiratione, ne-

mo

mo mortalium, opinor, argumentorum fulcimento indigere facilè arbitrabitur, qui saltem prius concesserit, Deum omnium conditorem ad Majestatis suæ famulatum, ad nominis sui gloriam, animas & corpora nostra condidisse.

Transeo igitur ad suppositum quartum & vltimum. *Cultus ille perfectus, animæ & corporis obsequium complectens, ex Adoratione tam externâ, quàm internâ, constans, à Populo Catholico in Æde sacrâ comparente, Deo publicè præstitus, licitus est proculdubiò, pijs etiam, & laudabilis, vtpote Ecclesiæ primævæ praxin sapiens, ac proinde linguis & calamis Novatorum obganniendi & calumniandi ansam penitùs præscindens.* Nec huic quisquam calculum suum non adjecerit, nisi qui prudentiæ & religionis dolendam jacturam pertulerit.

Hæc breviter dicta sunto de quatuor suppositis,

ſuppoſitis, nimirùm, *De loci ſacri deſignatione; De Conventu publico in eodem celebrando; De cultu perfecto ibidem præſtando; De pietate, & religione, & antiquitate iſtiuſmodi cultus aſſerendâ.*

Iam ad ſecundum membrum inſtituti progredior, ad explicationem ſcilicet nonnullorum, quæ, quamvis in ſeſe ſatis perſpicua ſint, & ab omni ſpecie mali ſeparata, aliquibus tamen nodum in ſcirpo quærentibus ſcandalum, uti aiunt, & offendiculum pariunt. Et imprimis ipſa vox *Altaris* ſuſpicionem ijs ingerit, ac ſi omnes eam vocem communiter proferentes operam unâ navarent *Miſſam* (ſi placet) denuò reducere *Pontificiam*, & *Lateranenſem Tranſſubſtantiationem.* En cor *Xenodoti*! An ignorant omnes Antiquos Patres, tam in Orientali quàm in Occidentali Eccleſiâ, omnes, inquam, ab ipſo *Scto Ignatio* vſq; ad *Sctum Bernardum*,

Voss. de Gr. Script. Suet. p. 829

eo

eo vocabulo sæpiùs usos fuisse? Quid frequentius apud *Græcos*, quàm ἱερεὺς, θυσία, θυσιαστήριον, quibus apud *Latinos* respondent non minùs frequenter, *Sacerdos*, *Sacrificium*, *Altare*? Quænam est hæc imprudentia (ne quid gravius dicam) Sanctos Patres & Doctores insimulandi, ac si doctrinæ Pontificiæ prima fundamenta jecerint? non habet profectò fortiores athletas, & patronos magis propitios, *Resp. Pontificia*, quàm hujusmodi imbelles & imprudentes hostes. *Altare*, *Sacerdos*, *Sacrificium*, relata quidem sunt, & ab uno eorum ad alterum valebit argumentum; & ab istis tribus concessis ad *Transsubstantiationem*, ne species est aliqua consequentiæ. *Tollite Transsubstantiationem*, inquit Reuerendissimus *Episcopus Vintonienses*, beatæ memoriæ, ad *Jesuitas*, *& non erit amplius lis nobiscum de Sacrificio. Habemus Altare*, inquit

inquit *Sctus Paulus*, liceat itaque nobis, bonâ eorum cum veniâ, Gentium Apoſtolum, & omnes Primitivæ Eccleſiæ Patres imitari; liceat, inquam, eundem ſenſum Catholicum, ijſdem, quibus olim ille (aptioribus non poſſumus) verbis & phraſibus ſecurè & rotundè proferre.

Poſtquam vox hæc ſatis vapulaverit, ipſam rem, quâ de agitur, graviter & iniquè exagitare moliuntur. Quamvis enim non poſſint non agnoſcere, modò candidi eſſent rerum interpretes, nos *Adorationem* iſtiuſmodi, coram *Altari*, Divinæ Majeſtati, ſoli & ſemper, exhibere; ea tamen eſt eorum calumniandi & maledicendi prurigo, vt ſacrilegium & idololatriam (heu quàm immania crimina!) nobis affigant, invitâ, credo, ipſorum *Minervâ*; contendentes, Adorationem illam ipſi *Altari* ligneo ſcilicet vel lapideo, à nobis ultrò

trò & de induſtriâ eſſe delatam. *Vexat cenſura Columbas.* Certè non opus eſt apologiâ ad abſtergendam manifeſtam & inſignem calumniam, cujus vel ipſi, opinor, ſibimet conſcij ſunt authores. Eadem omninò ſpicula, eodem tincta veneno, torſerunt olim *Ethnici* in primorum Chriſtianorum pura & innocua capita, *Solem nimirum coluere*, quia Deum Orientem verſus adorârunt. *Ononochyten*, neſcio quem, *pro Numine venerantur, infanticidium patrant*; dein, *humanum ſanguinem epotant, ita ad vagum concubitum parati.* Apage convitia hæc ſcelus & blaſphemiam ſpirantia, quæ tamen facilè negliguntur, utpote ab ore Chriſtum non confitente prolata; & indignum eſt, prorsùs indignum, inquam, ut nos à fratribus noſtris, eodem nobiſcum fonte ablutis, eadem vota quotidie fundentibus, idem cœlum, & eandem beatitudinem, ſperantibus,

tibus, tanti ſceleris, tam atrociter, tam immeritò inſimulemur: ſi eorum charitas ad zeli, quem præ ſe ferunt, fervorem incaleſceret, tum certè nec illi nos criminis læſæ Majeſtatis Divinæ injuſtè reos arceſſerent; nec nos itidem illos pacis & charitatis violatæ manifeſtos jure & merito pronunciaremus. Vota facientes, ſi fieri poſſit, cœlos & ſydera intuemur, oculos & manus attollimus; quis autem tam vecors eſt, ut eâ de causâ nos vel ipſum cœlum, vel laqueare Templi colere arbitretur? Domum Dei adeuntes in ipſo limine ſtatim caput aperimus; ideóne ſaxa & lapides ſacros veneramur? ſubſellia demùm ingreſſi, illicò genua flectimus, an ideò ligna & ſcamna ſuſpicimus? in *Muſæis*, licèt fortaſſe non in *Baſilicis*, noſmetipſos venerabundi deijcimus, proni in hùmum devolvimur, an idcircò etiam & *Terram*, cum

Veſta

Veſtæ Sacerdotibus, adoramus? Apage iniquas has & imbelles calumnias, non dicam rationibus, ſed, ne arundinibus quidem innixas. Si liceret addere Scorpiacum, quàm facile eſſet illos ſuis ipſorum gladijs jugulare! Templum ingreſſi, erecti & ſtantes in pedibus, preculas fortean obmurmurantes, facies galeris obtegunt; boni viri! an galeros & vellera adorant? ex infirmitate iſtiuſmodi conſequentiæ, quam agnoſcunt, liquet & eodem morbo laborare argumentum quod intorquent. At ſub galeris, aiunt ſe Deum adorare, ne ſcilicèt objecta externa mentem à Deo & oratione avocent: novum commentum hoc, antiquis inauditum; ſi nobis non ſuppetant fortiora argumenta, quare Deum verſus *Altare* adoremus, certè nec hujuſmodi cultũ quotidie prę-ſtaremus, nec eundem piè & cum laude præſtitum eſſe jam nunc defenderemus.

Verùm

Verùm ad tertiam partem penſi ab initio propoſiti accedo; diſtinctiones nonnullæ, explicationis gratiâ, paucis ſunt recenſendæ.

Adoratio, ſecundum communia Scholaſticorum placita, ex tribus actibus quaſi componitur; *ex actu intellectus* primùm, qui eſt cognitio ſupremæ & divinæ excellentiæ; *ex actu deinde voluntatis*, qui eſt libera ſubmiſſio ſui, & omnium in ſuâ poteſtate, huic divinæ excellentiæ facta & exhibita, quæ eſt ipſa formalis ratio *Latriæ*; *ex actu demùm externo corporis*, qui eſt effectus priorum actuum, & notitiam intellectus de divinâ excellentiâ exprimit, & ſubmiſſionem voluntatis, eidem præſtitam, non exprimit ſolùm, ſed adauget etiam, perficit, & coronat. Hi tres actus omnes concurrant oportet ad conſtituendum veram & propriam cultus noſtri integritatem: qui unum horum

1
2
3

gratis

gratis abſtulerit, adoratio, quam Deo exhibet, illicò evadet in ſe imperfecta, Deo indigna, ipſi denique cultori inutilis: ſi primum dempſeris, portam ſtatim aperis ignorantiæ, ſuperſtitioni malorum Iliadi; immò, cum *Athenienſibus*, erigis *Altare* τῷ ἀγνώστῳ θεῷ: 2 Si ſecundum ejeceris, ipſam unà Religionem & *Latriam* in exilium abigis, larvis, fucis, hypocritis, in Eccleſiam, quaſi tot hiſtrionibus in ſcenam, introductis; ſi tertium verò eliminaveris (quod vitium nunc dierum ubique graſſatur) eódem tandem res redibit; primò quidem exulabunt Reverentia Timor, Humilitas, quibus ſe comites ocyùs adjungent Religio, Pietas, Deuotio. Quæ itaque Deus & Natura, & ab his edocti Chriſtiani & Ethnici, ſemper & ubique conjunxerunt, homo quiſquam ne ſeparet, niſi velit unâ & eâdem operâ Dei oracula contemnere,

& ipsius Naturæ mandata violare.

Tertius iste actus corporis obsequium præstans, cum priorum actuum communis effectus sit & testis, eosque (si absit fucus) vel implicat, vel supponit, nomen ideò *Adorationis*, quasi sibi proprium, à plerisque illi ultrò oblatum, vendicavit: Et hujus species, vel modos potiùs, quatuor enumerant Scholastici, &, post illos, Casuum Conscientiæ Scriptores & Arbitri, nimirum *Caput aperire*, *Corpus incurvare*, *Genua flectere*, & dein *humi Corpus prosternere*; apud *Græcos*, γυμνῶσαι τὴν κεφαλὴν, προσκυνεῖν, γονυπετεῖν, προσπίπτειν. Animæ reverentiam & religionem omnibus istis corporis gestibus, tam apud *Gentes*, quàm apud *Iudæos* & *Christianos*, fuisse olim Deo & hominibus testatam, notius esse constat, quàm ut aliquibus omninò

teſtimoniorum ſubſidijs indigere poſſe videatur: accedat itaque tanquam ratum quid, & in confeſſo apud omnes, & numerum augeat Axiomatum in capite orationis ſuppoſitorum.

De ſecundo horum jam agendum eſt, nempe de inclinatione vel incurvatione corporis in Cultu Diuino, quæ quidem ſola, communi, ut videtur, nomine ad modum ſpecialem traducto, apud pleroſque Scriptores, tam antiquos, quàm recentiores, *Adoratio*, ſi placet, appellatur. Si vocis originem ſpectemus, ipſa fortean præcisè non deſignat, nec connotat aliquam corporis incurvationem; cùm *Adorare* nihil aliud ſit, quàm *manum ad os admovere*, uti aiunt Critici, & colligere eſt ex Iobi c. 31. 27. ex *Minutio Felici*, & alijs paſſim ſcriptoribus: verùm in illâ manus ad os appoſitione ſoliti ſunt antiquitùs, honoris ſcilicet & reverentiæ

tiæ gratiâ, corpora ſimul incurvare, & quaſi deijcere, unde ex concomitantia iſtiuſmodi geſtus, *Adoratio* cœpit ut plurimùm deſignare ipſam vel capitis, vel etiam totius corporis inclinationem: & de *Adoratione* ad hunc actum externum applicatâ, & reſtitutâ, me in ſequentibus acturum moneo.

Nolo autem controverſias (quod vel de Entibus fieri prohibet Philoſophus) ultra neceſſitatem multiplicare; nec in arenam deſcendere tanquam dimicaturus cum adverſario quem ipſe mihimet pro libitu apud animum meum finxi & formavi, cui dein robur & tela, qualia ipſe velim fabricare, videar fortaſſis addidiſſe; quod genus pugnæ (nunc dierum nimis agitatũ) meipſum etiam hodie coram acerrimis judicibus initurum arbitrarer; ſi hujuſce propoſitionis confirmationem gratis aggrederer, nempe, *Adorationem* Dei, h. e.

corporis

corporis incurvationem Deo ipsi præstitam, licitum quid esse, immò pium amplius, & laudabile, scilicet unà omnes idem exclamarent illicò (quod olim ille ad oratorem *Herculis* laudes ebuccinantem.) *Quis eam vituperavit?* Pro concesso itaque habeatur, tanquam corollarium à tertio suppositio deductum, nempe, Adorare Deum, factâ corporis inclinatione, opus esse Pietatis & Religionis, Divinâ Majestate non indignum, timori & reverentiæ nostræ non incongruum. Cujus Axiomatis veritatem satis abunde stabilitam reddidere omnium gentium jura & instituta; *Judæorum* in Divinis officijs peragendis genius & mores, Christianorum denique, per universum orbem, per omnia retrò secula inolita praxis & consuetudo: nec reclamant ipsi tandem Novatores, qui nimirum *Adorationem* istiusmodi, quam fortasse

Deo

Deo non exhibent, in ſanctis ejus non poſſunt, non audent vel condemnare, vel ſaltem ſugillare. Verùm, ut *Adoratio* hæc, in ſeipsâ licèt utilis & pia, utpote tam à ſcandalo quàm à crimine aliena, verſus *Altare* deferatur, hoc eſt ſcilicet quod eos ægrè habet, quod eorum alios, quibus ingenium eſt deliçatius, & ſplen laxior, in facetias illicò ſolvit, & cachinnos; alios verò, quibus bile fervent præcordia, ad iras & rixas, ad opprobria & conuitia provocat. Hîc itaque pes figendus : *Hîc Rhodus, hîc ſaltus.* Probandum eſt igitur. *Adorationem illam legitimè, piè, optimè fieri verſus Altare.*

Primum argumentum ſic ſe habet. *Cultus ille Divinus, qui in ſe præcisè & abſolutè ſpectatus pius eſt & humilis, non poteſt aliquatenus corrumpi, multo minùs in impietatis & ſuperſtitionis gurgitem delabi, ex eo ſolùm quòd pro more*

exhiberi

exhiberi ſoleat verſus hanc vel illam cœli plagam, verſus hanc vel illam Eccleſiæ partem (*Altare* puta, vel *Baptiſterium*) niſi vel exiſtimemus Deum ſe in eum locum quaſi conſtrinxiſſe, atque alligâſſe; quod injurium eſt omni-præſentiæ ejus & immenſitati; vel fingamus Deum iſtiuſmodi loco dona gratiæ & reliqua beneficia, tanquam tot Anathemata appenſa & affixa ſemper habere, quod miſericordiam ejus & bonitatem violat; vel arbitremur aliquam partem cultus noſtri iſti loco aut rei, ſaltem tranſitivè, aut relativè, aut alio modo eſſe delatam; vel periculum ſubſit ne deferatur, aut deferri ab aliquibus jure & merito credatur; quorum unum Divinum honorem, alterum fraternam charitatem lædere fortean videatur. Non occurrit alius modus, quo puro illi cultui aliqua omninò labes affricari poſſit. Iam aſſumo. *Adoratio Dei, quâ de agitur, in*

ſe

se si præcisè spectetur, cultus est humilis & pius, ergò ita etiam & perstat, si Deo à nobis versus Altare præstetur. Minoris veritas satis constat ex suppositis, nempe, Deum adorare, i. e. ut dixi, inclinato corpore colere, cultum esse imprimis pium & humilem, utpote humanæ subjectionis indicem, divinæque Excellentiæ assertorem; nec eam puto quis facilè inficiabitur, nisi prius furore *Manichæo* prorsùs abreptus, cœtrò dein eodem & blasphemiâ percitus, corpora nostra Deo, omnium visibilium & invisibilium creatori, abjudicare didicerit. Major, constans ex enumeratione modorum, quibus cultus Divinus Deo minùs dignus possit evadere, ex eorundem omnium abnegatione, & à præsenti instituto remotione, optimè stabilitur.

Nos itaque Deum versus *Altare* venerantes, primò non sumus Divinæ

Majestatis,

Majeſtatis, & Naturæ undique incircumſcriptæ adeò immemores, ut eam credamus aliquibus cancellis poſſe concludi; vel Orientalem aut Cœli, aut Templi, plagam ſolùm, aut magis, incolere. Abſit hoc phantaſma à fidelibus omnibus, qui vel ipſa Chriſtianæ Religionis & Doctrinæ rudimenta delibârunt.

Secundò, uti non ipſum Deum, ita nec dona ejus & munera huic vel illi loco aſſignata pingimus; dona, inquam, Dei & beneficia ejus, in capita noſtra ubilibet defluentia, ad *Altare* non appendimus, ſed vota & preces noſtras: *vota in Altare* enim (ut ait *Optatus* lib. 6) *membra Chriſti, & vota populi portata ſunt.*

Tertiò, Nullam cultus noſtri particulam ipſi *Altari*, vel tranſitivè, vel relativè, vel alio quopiam modo, attribuimus: tantùm Deum ipſum veneramus

mur coram, vel verſus *Altare*, idque ob rationes inferiùs explicandas.

Quartò & ultimò, Nihil ſubeſt periculi, vel ſcandali, quaſi rudiores nonnulli nos *Aricolas* eſſe arbitrentur, & θυπαρηλολατρείας non immeritò inſimulandos.

Nam primò, non abſimili ratione, omnes apertis capitibus (uti oportet) Templum ingreſſos, Λιθολάτρας ſcilicet & *Lapidicolas* eâdem ſugillandi licentiâ, appellare poſſunt: quod calumniæ genus memini me in ſuperioribus abſterſiſſe.

Secundò, Fatendum eſt, quemcūmque modum aut ritum colendi Deum, in ſe licet optimus ſit, & nulli periculo, aut ludibrio, expoſitus, ab aliquibus tamen, ijſque ſub zeli aut pietatis pallio ſe obtegentibus, aliquando probris & calumnijs, aliquando ſannis

& Ciconijs impetitum fuiſſe. Non inauditum eſt, *Davidem* ipſum, Regem & Prophetam, coram Arcâ Dei præ lætitiâ exultantem, eam ob cauſam, etiam ab uxore ſuâ, joco & ſcommate fuiſſe exceptum. Annon è noſtratibus aliqui ſacram Eccleſiæ *Liturgiam*, & divina, quæ peragimus, officia vanitatis incuſant, & ſuperſtitionis, immò, quod amplius eſt, & blaſphemiam ſapit, tautologiæ inſimulãt, & Battologiæ, impietatis etiam horrendæ, & Magicæ incantationis? Quid ergo? an hiſce terriculamentis attoniti libros *Liturgicos* flammis ſtatim & *Vulcano* litabimus? An ſacris olim ab Eccleſiâ ſancitis abrenunciantes, preces illicò fundemus αὐλοκοδιαστικῶς, mente non ſanâ, & lingua quidlibet effutiente natos? Certè filios ſuos hujuſmodi inconſtantiam, tam iniquam συγκαλάβασιν, Pia Mater

Eccleſia

Ecclesia nunquam edocuit. Quid itaque nobis in mandatis dedit? Nempe divina officia eô sollicitiùs & attentiùs à nobis semper obeunda, quô indigniùs & atrociùs ab alijs temerantur, & vapulant; hæc insuper votis communibus inserentes, ut orationes, quas pro salute omnium emittimus, ijs etiam non minimè prosint, à quibus ineptiarum & impietatis tam immeritò arguuntur.

Tertiò itaque asserendum, modum aliquem cultus Divini, quem scilicet ipsi pro libitu non adinvenimus, sed à majoribus per omnia retrò secula traditum accepimus (qualis hic est de quo agitur, ut posteà liquidò constabit) non esse ocyùs ablegandum, & ab Ecclesijs omnibus, tanquam prophanum quid & piaculare, statim eliminandum, eò quòd nonnullis, quibus animus est omnia antiqua antiquandi, videatur istiusmodi cultus vel superstitioni, vel

idololatriæ, nimis esse vicinus, & ad eorum in Domo Dei gestus & mores indecoros haud satis accommodus. Etenim nulla pars cultus Divini (ut ceremonias jam & ritus Canonicos taceam) nulla, inquam, adeò illibata, libera, & immunis evasit, quæ tam prophanorum insulsa scommata, quàm obtrectatorum gratuita convitia, centies millies non sensérit & pertulerit. Si laudes & gloriam SS. Trinitati tribuentes, à subsellijs erecti, uti par est, reverenter assurgimus, obganniunt illicò delicatuli, nos nova nescio quæ, & insolita ijs obtrudere. Cùm ad venerandum nomen Domini saluatoris corpora & crura, juxta præceptum Ecclesiæ, supplices inclinamus, exclamant ocyùs, se jam deprehēdisse idololatras ἱπαυλοφόρω. Ex his, inquam, & multis alijs, quæ lubens jam nunc prætereo, satis constare opinor, scrupulum illum, de periculo

scandali

ſcandali, *Adorationi* noſtræ adverſus *Altare* à nonnullis injectum & ſuperinductum, nimis infirmum, immò irritum omninò eſſe, cui iſtiuſmodi cultus jampridem paſſim inoliti exilium & ablegatio deputetur. Nam non licebit nobis vel ipſas Dei domus orationis gratiâ adire; vel inibi Deum quocunque modo colere, ſive adorando, ſeu genu flectendo, ſeu procidendo; non licebit, inquam, vel preces compoſitas priùs, & conſcriptas, fundere, vel Feſta & dies Dominicos celebrare; vel Quadrageſimam & ſtata jejunia obſeruare; vel eleemoſynam indigenti porrigere; verbo abſolvam omnia; nullum opus pium, & Deo acceptum peragemus unquam (dum *in hac fæce Romuli*, mundo ſcilicet, verſamur) ſi ab eo nobis cavendum arbitremur, quippe quod paucorum debacchantium linguis & calamis lacerari, proſcindi, con-

fugi,

figi ; extimeſcamus.

Quartò & ultimò. Si qui adhuc uſpiam ſint, quibus iſtud periculum, his non obſtantibus, minimè videatur *Panicum* & inane, charitatem ſuam, cujus fervore ſe prætumidos eſſe geſtiunt, liberè exerceant, non, uti hactenus ſoliti ſunt, in calumnijs cudendis, & *Philippicis* publicè recitandis, quibus bonam famam eorum Deum verſus *Altare* venerantium lædere & violare ſategerunt ; ſed in admonitionibus & inſtitutionibus componendis toti jam verſentur, populum imprimis edocentes, nos Deum ipſum non (uti prius iniquè augurabantur) ipſum *Altare*, vel Deum *cum Altari*, vel *per*, vel *trans*; vel *ſub*, vel *ſupra*, ſed tantùm *verſus*, vel *coram Altari*, ſolitos eſſe venerari : dein & hoc adijciant, per me licet, caveat, ſcilicet, populus, ne Deum ad hunc modum pro more venerans, aliquem

quem radium vel ſtructuram Divinæ *Adorationis* ipſi *Altari*, vel de induſtria, vel ex improviſo transferat, ſed eam totam & integram Deo ſoli præſtet illabatam, piè etiam credens ſingulos eâ inclinatione factâ, hoc animo, hac ſententia fretos, corpora uſque ad humum pronos deijcere, ut Deum ipſum verſus *Altare* ſupplices ita colant & venerentur.

Secundum Argumentum ſic ſe habet. *Cultus ille, qui licitus eſt & pius, ſi fiat in Domo Dei, iiſdem priuilegijs & elogijs gaudebit, ſi fiat verſus Altare. At Adoratio, quâ de agitur, licita eſt & pia, in Domo Dei præſtita. Ergo etiam & verſus Altare.* Minorem, vt conijcere eſt, vix negabunt Novatorum omnium Noviſſimi, qui ſcilicet Nova Sacra, Novos Ritus, Novum Cultum, Novam *Angliam* meditantur. Concedent omnes, etiam à vicinis Barbaris,

ſi opus

si opus est, ita edocti, licitum quid & pium esse, Deum in Domo cultus ejus destinatâ, corporibus inclinatis, adorare. Ad confirmationem Majoris quædam sunt breviter annotanda.

Primum est, Adorationem hanc in Ecclesiâ præstitam, cùm sit actus corporalis, necessariò fieri debere versus aliquam partem Ecclesiæ, nempe proram versus aut puppim, septum aut pauimentum, dextros aut siniſtros parietes.

Secundum est, Manifestam fore Apostolici præcepti violationem, *Omnia fiant decenter & in ordine*, si cuique liberum esset adorationem suam versus quamcunque elegerit Ecclesiæ partem, pro libitu determinare; etenim hic versus Horologium, ille versus suggestum vel sacrum Fontem, aliquis versus *Altare* Deum adoraret, quod indignum esset cœtu Christiano, qui

cui Deus concordiæ & unitatis præsidet, & cui Angelorum acies ordinata subministrat.

Tertium est, Probè & consultò fecisse Ecclesiæ primitivæ Patres (quibus Deus spiritum prudentiæ & sapientiæ indidit) qui hanc litem, nondum exortam, quantum in ipsis erat, composuerunt; nempe, omnes, unà cum populo ad eorum instituta & mores facilè tum composito, cultum suum versus unum & eundem locum determinârunt, Deumque versus *Altare* (ut posteà constabit) semper adorârunt.

Postremò, Adorationem hanc ideò versus *Altare* primò fuisse destinatam, & posteà ita semper præstitam, quia scilicet (ut alias rationes jam taceam) *Altare* est optima, præcipua, & sanctissima pars universæ supellectilis Ecclesiasticæ. Ita asseruere olim Antiqui Patres, qui idcircò *Altari* tam hono-

ris, quàm ſanctitatis, titulos ſæpiùs addiderunt. Quid frequentius apud *Græcos* Proceres, quàm τὸ ἅγιον θυσιαστήριον, ἢ ἱερὰ τράπεζα? immò, quod majus, τὸ θεῖον θυσιαστήριον? Latinos *Heróas* ſi conſulamus, ſæpiſſimè occurrunt hæc elogia, *Sacrum*, *Sanctum*, *SSanctum*, *Reverendum Altare*, & ſimilia. Hinc eſt quod comparationes inſtituere ſolebant inter *Altare* apud *Chriſtianos*, & *Sanctum Sanctorum* apud *Iudæos*, illudque huic multis nominibus præferre. Hinc etiam eſt quòd *Altaria* ſeptis & cancellis undequaque munire, & vallare, conſueverunt, ne ſcilicet Laïcorum aliquis, temerè irrumpens, propiùs, quàm par erat, ad *Altare* accederet. Noſtis *Sctum Chryſoſtomum* & alios aſſerere, Angelorum & Archangelorum choros intra ſepta Altaris, unà cum Sacerdotibus commo-

rantes

rantes, Deo miniſtrare, & offerre, quaſi divina officia juxta cum illis peragerent. Quid memorem ſingula? rationem potius aſſignandam expectatis tantæ ſanctitatis & excellentiæ; eam quidem vel non aliunde, vel præcipuè ſaltem petitam & deductam non neſcitis à Dominici corporis & ſanguinis in *Altari* quotidianâ ferè oblatione, & præſentiâ. Ita *S. Optatus lib.* 6. Altaris dignitatem prædicat, quia *ſedes eſt Corporis & Sanguinis Chriſti.* Ita *S. Chryſoſtom Hom.* 20. *in* 2. *ad Corinth.* Σὺ δὲ τὸ μὲν θυσιαστήριον τοῦτο τιμᾷς, ὅτι κεῖται τοῦ Κυρίου σῶμα. Fruſtrà ſim ſi ad hujuſce rei elucidationem plura congererem. Nec *Suggeſto*, nec *Baptiſterio*, tot & tanta ſanctitatis encomia legere eſt apud Antiquos unquam fuiſſe attributa, immò nullâ ratione poſſe jure attribui, manifeſtò

liquet; etsi enim nunc dierum concio-nes à plerisque tam ingratis & stu-pendis laudibus evehantur, ut & *Li-turgiam* & Sacramenta, & bona opera, & sacra omnia penè absorpserint & devoraverint; neminem tamen eò in-saniæ devenisse memini, qui *Suggestum* cum *Altari*, si de sanctitate agatur, audeat committere: etenim nec con-cio exinde prolata est Verbum Dei; nec, hoc dato (at non concesso) Spi-ritus sanctus istiusmodi cõjugium inire creditur cum Verbo Divino, quale Fi-lius Dei cum *Sacramento Altaris*. Dein-de, nec æquum est ut *Baptisterium* cum *Altari* de excellentiâ & sanctitate con-tenderet, quamvis nonnulli (quibus Antiqua omnia, quâ talia, fastidio sunt, & nauseæ) litem hanc, nunc primùm in lucem ab ipsis editam, lin-gere, & fovere, pro virili annituntur. Infantes omnes, & adulti, quotquot

sibi

sibi non ponunt obicem, de Fonte sacro levati, remissionem peccatorum exinde obtineant, filij Dei evadant, hæredes cœli constituantur (quod ægrè concesserint, sat scio, qui pro *Baptisterij* præcellentiâ, tanquam pro aris & focis, dimicant) ampla quidem privilegia, & hujusmodi quæ sacro *Fonti*, à quo dimanant, honorem & sanctitatē conciliant: at verò *Altare* quod attinet, illud majora quædam, & longè diviniora, nobilitant; in eo quippe celebratur trēmēdum illud Sacrificium, quod olim instituit Dominus noster ad commemorationem, ad repræsentationem, ad applicationem, ad exhibitionem perfectissimi illius *Sacrificij*, semel in *Arâ Crucis* oblati & peracti: in eo præparatur *Sacramentum* dicam an *Convivium* cœleste, præ quo sordent universi terrarum orbis dapes & lautitiæ; ubi panem ipsum vitæ manducamus, & calicem salutis &

æternæ

æternæ benedictionis ebibimus; immò reverâ Corpus Domini noſtri, & pretioſum ejus ſanguinem, τῆς ἀθανασίας ἐφόδιον, τῆς κληρονομίας ἀρραβῶνα, ut loquuntur Patres *Græci*, apud quos myſterium hoc τελεῖν appellari ſolet, ideſt, *Chriſtianæ Religionis maxima perfectio & conſummatio*; hinc eſt, quòd *Altare* in parte Eccleſiæ ſupremâ, ſanctiſſimâ & maximè perſpicuâ, ſemper conſtitutum fuerit; cùm *Baptiſterium*, è contra, primò quidem in Cœmiterio, extra limina Sacrarum Ædium (ut conſtat ex Antiquis Scriptoribus) dein verò prope limina, in puppi navis Eccleſiæ, collocaverint.

Ex quatuor hiſce propoſitionibus ad hunc modum prælibatis, videlicet, 1. *ex neceſſitate determinandi adorationem noſtram verſus aliquem locum*; 2. *ex decentiâ determinandi eam verſus unum*

locum; 3. *ex consuetudine determinandi eam versus Altare* (de quâ posteà) & 4. *ex sanctitate & excellentiâ Altaris, præ reliquis omnibus in Ecclesiâ, agnitâ*, uti spero, *& concessâ*, satis eluceſcit, opinor, veritas Majoris propositionis, nempe *Adorationem* eam, quæ Deo in Domo ejus præstita, licita & pia perhibetur, ijsdem etiam titulis gaudere, si fiat versus *Altare*. Nam quod oportet dirigi versus aliquam partem; Quod decet dirigi versus unam; Quod consuetum est dirigi versus Altare; quod æquum est dirigi versus optimam, illud profectò optimè dirigitur versus optimam partem, ac proinde licitè & piè, secundum regulas rationis & pietatis, exhibetur versus *Altare*. Concludam argumentum cum sententiâ *Sti Hieronimi*. Dixit ille de die Dominico: *Da aliquid Christi resurrectione majus, & muta diem Domini.* Idem ego de

Adoratione

Adoratione verſus *Altare. Da aliquid in Domo Dei ſanctius Altari, & muta conſuetudinem.*

Tertium Argumentum ſic ſe habet. *Adoratio Dei Orientem verſus licitus eſt & pius cultus, ergò etiam & Adoratio verſus Altare.* Hujus Enthymematis antecedens non aliâ probatione indigere arbitror, quàm argumento, quod appellant, inartificiali, à communi Eccleſiæ Catholicæ praxi, & perpetuâ conſuetudine, deducto; cui ſi audaculus quiſpiam obtorto collo contraniti velit, eum certè non alîus criminis, quàm inſolentiſſimæ inſaniæ, reum eſſe judicat *S. Auguſtinus.* Eum autem Primitivæ Eccleſiæ ſemper fuiſſe morem, ac proinde licitum & pium cultum, ut converſi ſcilicet ad Orientem Deum adorarent, fusè admodum teſtantur Sacrorum Patrum ſcripta & monumenta, è quibus ſi pauca tantùm teſtimonia

proferre

proferre conarer, vobis profectò non ſolùm tædium parare, verùm etiam in re adeò manifeſtâ ignorantiam veſtram ſupponere viderer. Ne itaque in alterutrum ſcopulum impingam, verborum repetitione omiſsâ, loca tantùm breviter indicabo, ubi praxin hanc Antiquam, & ab Apoſtolis ipſis deductam, aſtruxere olim Sancti Patres.

Ita imprimis aſſerit *S. Juſtinus Martyr Quæſt.* 118. *Tertul. in Apologet. c.* 16. *Et adv. Valent. c.* 3. *Origen. Hom.* 15. *in Numeros. S. Greg. Nyſſen. lib. de Orat. Dom orat.* 5. *S. Athanaſ. quæſt. ad Antiochum* 37. *S Clem. Alexandr. ſtrom. lib.* 7. *S. Baſil. lib. de Spiritu Sancto c.* 27. *S. Epiph. l.* 1. *adv. hæreſ.* 19. *S. Aug. lib.* 2. *de Sermone Domini in Monte.* Facile eſſet reliquorum Patrum calculos adijcere; verùm non opus eſt ulteriori confirmatione tam indubitatæ conſuetudinis, cujus originem, cauſas, Tom. c. 5.

&

& fundamenta, non est mihi in animo altiùs repetere, cùm hoc abundè præstiterint *Ioannes Damascenus lib. de Orthod. fide c.* 13. Et post illum *Thom. Aquin.* cum scholasticis. Et post eos omnes *Durantus*, *Pamelius*, cum multis alijs, qui Antiquitatum *Liturgicarum*, & rituum Ecclesiasticorum, reliquias & monumenta conscripserunt. Consequentia Enthymematis probatur primùm ex eo quod *Altaria* olim majora in Orientali parte Eccles. semper fuerint erecta, & collocata; qui Deum igitur versus Orientem, etiam & versus *Altare* eâdem operâ adorârunt. *Altaria* verò in eâ parte Domus Dei, quæ Orientem spectat, primitùs fuisse constructa, optimè colligere est è Patribus jam modò prænominatis, à *Clem.* etiam *Romano*, vel alio quopiam *l.* 2. *Constit. Apost. cap.* 61. qui ait *Ædes sacras constitui debere versus Orientem*. Cui altipulatur

Tertull.

Tertull. lib. prædicto *adv. Valent.* quem ſitum adhuc præ ſe ferunt omnes per orbem Catholicum *Baſilicæ* & Eccleſiæ ; à quo tamen aliquando declinârunt Capellæ fortaſſis & Oratoria, vel quia Regum & Pontificum Palatia Capellas ſuas ad legitimam formam componi, ſæpè ob anguſtias, aut ob decorem, non facilè patiantur ; vel quia nonnulli nunc dierum, ne mores & veſtigia Antiquæ Eccleſiæ ſequi videantur, ſacella, neſcio quæ, Auſtrum vel Aquilonem ſpectantia, tanquam novitatis & ἀυθαδείας inſignia, conſultò & de induſtria conſtruxere. Narrant quidem *Socrates* & *Nicephorus* in Eccleſiâ vnâ atque alterâ apud *Antiochenos Altaria* fuiſſe collocata à parte Occidentali Eccleſiæ ; oppōrtunè verò monent hoc inſolitum quid audiviſſe tanquam conſuetudini aliàs ubique receptæ è diametro oppoſitum. Siquis jam

cauſas

causas investiget hujusmodi consuetudinis, quæ per universum orbem Christianum jamdiu obtinuit, easdem assero rationes *Altarium* in Ædium sacrarum parte Orientali situm & sedem posse confirmare, quæ *adorationem* fieri suadent versus Orientem; eas autem quinque vel sex à Patribus numerari, nemini, vel saltem paucis, è vobis incognitum esse censeo, quas idcircò satius duxi penitùs omittere, quàm frustrà repetere. Illud autem omninò non est prætereundum, in ijs nimirum sacellis aut Ecclesijs (quæ rarissimè reperiuntur) in quibus *Altaria* in aliâ parte quàm Orientali constructa legimus, adorationes tamen & incurvationes fieri solitas versus *Altaria*, uti constat ex *Rubricis* omnium *Græcarum Liturgiarum*, quas *Scto Basilio*, *Scto Chrysostomo*, alijsque Patribus vel verè assignari, vel falsò affigi, novimus. Iubent enim προσκυ-

προσκυνήσεις fieri ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου vel τῆς ἁγίας τραπέζης, *Adorationes fieri coram altari vel sanctâ mensâ*, ubicunque tandem collocatâ. Quod quidem libentiùs moneo, ne illi scilicet, quorum sacella & *Altaria* non spectant Orientem, sese ideò immunes & liberos existiment ab hujusmodi cultu præstando ; quasi à contrario vel diverso sacellorum situ ad mores etiam & gestus inibi habendos, ab Antiquâ Ecclesiâ diversos, valebit argumentum.

Secundò, confirmatur Enthymematis consequentia ex analogiâ, ad hunc modum. Si primi omnium Christiani, Catholicæ Ecclesiæ filij natu maximi, non solùm absque crimine vel periculo scandali, verùm etiam cum laude & pietate, cultum illum de *Adoratione* Dei Orientem versus in Ecclesiam introduxerunt, eumque posteris, tanquam ab Apostolis

traditum

traditum, ſedulò commendârunt, eò præſertim tempore, quo *Iudæi* omnes verſus Occidentem Deum adorârunt, ſolæ Gentes & Ethnici numina ſua verſus Orientem coluerunt; tum procul dubio ijdem Chriſtiani, ijſdem vel fortioribus rationibus innixi, ritum illum adorandi Deum verſus *Altare* licitè & piè inſtituere potuerunt, quem morem ſcilicet, tam in veri quàm in ficti numinis cultu, & Iudæi, & Gentes, ſemper & vbique, uſurpârunt. Gentes omnes, tam Barbaras quàm *Græcas*, imperfecto naturæ lumine edoctas, in Deorum ſuorum vel Idolorum cultu, corpora ad humum coram *Altaribus* inclinâſſe, teſtantur Hiſtorici quique, præſertim verò *Poëtæ*, & inter eos maximè *Virgilius* & *Ouidius*. *Iudæos* etiam, Prophetarum & Pontificum ſuorum oraculis admonitos, Deum verum, & vivum, corporibus humi ſtratis, capitibuſque

buſque ad Pavimentum Templi demiſſis, coram ſancto *Altari*, adorare ſolitos fuiſſe, conſtat ex teſtimonijs à ſacrâ Paginâ petitis, ex 1. *lib. Reg. c.* 8. *v.* 22. *Et* 2. *Reg.* 18. 22. ubi & dixit Rex pientiſſimus *Hezechias*, *Coram Altari hoc incurvate vos. Ex* 2. *Chron.* 7. 3. *&* 2. Rurſus *Chron.* 32. 12. *Coram Altari uno adorabitis.* Alia hujus generis in medium proferre omninò ſuperfluum eſſet, cum ſcilicet noveritis omnes morem inoleviſſe apud *Iudæos* Deum adorandi in Templo verſus *Altare*; & extra Templum, verſus Templum, uti conſtat ex Oratione *Solomonis* in ipſius Templi dedicatione habitâ; & ex praxi *Danielis* in *Babylone*, fenestram ſuam, dum oraret, quotidie aperientis *Iudæam* verſus. Ex his itaque quivis, non ſpontè ſuâ cæcutiens, facilè perſpiciet, Antiquos olim Chriſtianos, ratione habitâ tam ad *Gentilium* mores & inſtituta, quàm ad

Iudæorum

Iudæorum cultus & ritus in divinis Officijs celebrandis, potioribus argumentis & exemplis fretos, decernere potuisse, Adorationem fieri debere tam versus *Altare*, quàm versus Orientem: quorum posterius eos instituisse, vel potiùs ab Apostolis traditum accepisse, & usurpâsse, satis liquere arbitror ex eorum omniũ invictâ authoritate modò allegatâ; ex quâ etiam non obscurè colligitur, eos & prius illud optimè instituere potuisse, quod & eos etiam actu instituisse, constabit, vti spero, ex Argumento quarto & ultimo; illud autem primum jure habendum est pondere & virtute, licet ordine & numero sit postremum.

Quod in more positum fuit olim apud Sanctos Patres in Ecclesiâ Primitivâ; Quod ipsi posteris fideliter tradiderunt; Quod per omnium seculorum series ad nostra usque tempora perduravit, illud proculdubio in Divinis Officijs peragendis licitum

licitum eſt, & pium; At *hujuſmodi eſt Adoratio verſus Altare*; Ergo. Majorem nemo hominum inficiabitur, niſi quî priùs Eccleſiæ Catholicæ ritus & mores contempſerit, ac proinde, *Sto Auguſtino* (uti dixi) judice, ſe inſolentiſſimæ inſaniæ reum haberi meruerit. Minorem confirmabunt teſtimonia Antiquorum jam in aciem producenda. Veniam concedatis, quæſo, tam brevitatis, quàm perſpicuitatis gratiâ, *Græcos* ſcriptores *Latinè* allegandi. *Sctus Greg. Nazianzenus in laudem Gorgoniæ ſororis, Orat.* 11. in aliquibus libris 25. maximè laudat religioſiſſimam Heroinam, quia morbo aliquando correpta, ad mortalium omnium medicum confugit, & *ad Altare* cum fide *procubuit*, vel *procidit*, eum qui ſuper ipſo honoratur invocans; deinde *caput Altari admovit*, & ita Deum obteſtans ſanitatem & vigorem illicò conſecuta eſt. Idem olim feciſſe Alexan-

drum Episcopum *Constantinopolitanum*, narrat *Zozom. lib.* 2. *Hist. Eccles.* c. 28. Sanctissimus ille Antistes, ad orationem se accingens, priùs *ad basin Altaris procidit*, ibi *pronus humi jacuit*, Deum enixè precatus, ut *Arrianorum* furores & conatus pessundaret, & postridie ipse *Arrius*, olim blasphemiæ, nunc etiam & perjurij reus, vivus & valens, dum naturæ onera deponit, ilia simul & intestina perfidus effudit. Ita etiam *Socrates lib.* 1. *cap.* 25. *Alexander* ad *Altare* progressus, *humi coram S. mensâ se in faciem prostravit*, cum lachrymis Deum orans &c. Eandem historiam referunt *Epiphanius*, *Cassiodorus*, *Nicephorus*, & alij multi. Hæc exempla potius quàm alia commemoro, quia testantur, Deum ipsum eorum pietatem & reverentiam, cum coram *Altari* adorantium, miraculosis beneficijs ratam, illustrem, & pijs omnibus imitandam reddidisse. S. *Greg. Nyssen. in Orat.*

de

de S. Christi Baptismate hæc habet. *Altare hoc Sanctum, cui adsistimus, lapis est naturæ communis, sed quoniam Dei cultui consecratum atque dedicatum est, & benedictionem accepit, Mensa sancta, Altare immaculatum est, quòd non amplius ab omnibus, sed à solis Sacerdotibus, iisque venerantibus, contrectatur.* Sctus Chrysost. *Hom.* 20. *in* 2. *ad Corinth. Tu quidem hoc Altare honoras, quoniam accipit corpus Christi. Joh. Damasc. lib.* 4. *De Orthod. fide,* & ante illum *Sctus Justinus Martyr* & alij passim rationes assignârunt hujusce adorationis. *Etsi*, inquiunt, *erecti stemus orantes diebus scilicet Dominicis, & à Paschate ad Pentecosten* (quod jam desuetudine est abolitum) *ut fidem nostram in Christum à morte reducem protestemur; ut fiduciam simul indicemus, vitam æternam Christi meritis & resurrectione tandem consequendi; attamen procidimus aliquando, & procumbimus proni*

usque ad terram, ut fateamur nos cum Patre Abrahamo pulverem esse & cineres, homines quasi jam mortuos, & in terram, quâ constamus, delapsos; qui in Domo Dei coram tremendâ Majestate erecti compareamus, indignos; in infernum ob peccata (nisi Deus esset supra modum misericors) quamprimùm dejiciendos; Et ideò narrant *Sctus Chrysost. Sctus Basil.* & alij Patres, & Sacerdotes, & Diaconos, dum sacra peragerent, & hujusmodi *Adorationes* & incurvationes coram *Altari* exhibuerunt, solitos fuisse quasi tacitè repetere toties quoties, Κύριε ἐλέησον &c, & in majoribus *Adorationibus*, quibus se in humum demitterent, illud humilimi Publicani Κύριε ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ; atque hinc est quòd nuperi *Græci Adorationes* hasce quas Antiqui dixere προσκυνήματα, appellant hodie μετανοίας, vel quia gestus ittiusmodi maximè

maximè & frequentiſſimè fiebant à pœnitentibus ; vel potiùs quia plerique eo modo Deum adorantes ſolebant uti verbis pœnitentium, Κύριε ἐλέησον, vel Κύριε ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ ; eos autem vel iſtas precatiunculas, vel alias quaſcunque ad numerum *Adorationum* multiplicâſſe, conſtare poteſt ex *Theodor.* *qui* hiſtoriam tenens de *Sto Simeone Stylite*, illo Chriſtianæ pietatis, & patientiæ, poſt Chriſtum Dominum, miraculo, ait, *Spectatores nonnullos, à longe obſervantes ſanctiſſimi monachi incurvationes, ex illarum numero, etiam & preces, quas continuò effudit, in numerato habuiſſe*, nempe *mille ducentas quadraginta quatuor*. O pietatem egregian cum reverentiâ & humilitate conjunctam! quam ſi hodierni Critici conſpexiſſent, eam ſuperſtitionis, idololatriæ, inſaniæ, abſque morâ inſimulâſſent.

A *Græcis* in hoc genere non omninò abludunt *Latini* Patres. *Tertul. de Pœnitent.* ait, *Pœnitentes ſolitos fuiſſe presbyteris advolvi, & aris Dei adgeniculari.* Scio *Rhenanum*, *Pamelium*, & alios jam legere. [*Charis Dei*] verùm tum dixiſſet, opinor, [*Charis Deo*] ut loqui amant *Afri* omnes, *Sctus Cyprianus*, *Sctus Auguſtinus*, & reliqui, & non [*Charis Dei*] At obijcit *Pamelius*, *Pœnitentibus nullum aditum patere in Eccleſiam, & ideò ijs multò minùs licere aris Dei adgeniculari.* Reſpondeo, Pœnitentes in initio quidem pœnitentiæ ab Eccleſiâ & fidelium cœtu excludi; at non ita, cùm ad dies præſcriptos egerint pœnitentiam, cùm *advolvantur Presbyteris*, ad abſolutionem obtinendam, tum poſſunt etiam *aris Dei adgeniculari.* Verùm non opus eſt ut contendamus de textu dubio & obſcuro, præſertim cùm *Tertullianus* penè idem aſſerat alijs in locis; *Lib.*

de Orat. Dni. Cum modestiâ & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces nostras. Lib. 2. ad Uxor. Fideles conjuges simul orant, simul volutantur, simul jejunium transigunt in Ecclesiâ Dei pariter &c. Volutatio illa *conjugum* fidelium in Ecclesiâ Dei nihil aliud erat quàm *adoratio*, vel potiùs *prostratio coram Altari*, uti liquet ex more volutandi tum consueto. *Sctus Hieron. Ep.* 48. *ad Sabinianum Diaconum solicitatorem Virginis ad stuprum. Tu inter ostia quondam præsepis Domini nunc Altaris, amatorias Epistolas fulcibas, & quas postea illa miserabilis quasi flexo adoratura genu, invenret, & legeret.* Nihil apertius, opinor, dici potuit ad designandum morem illum *adorandi* Deum ad ipsa ostia *Altaris* i. e. Cancellorum *Altare* circumcircà munientium. *Russinus l.* 2. *c.* 16. ait, *Sctum Ambrosium*, cùm adversus *Iustinæ* furores sibi & Ecclesiæ Deum defen-

sorem

lorem parabat, *ſupplicem ad Altare confugiſſe*, imnò *humi decubuiſſe*, & *ſub Altari poſitum precibus ſuis Divinum auxilium advocâſſe Salvianus lib. 7. de Provid.* de Chriſtianis ſui temporis ait, *Ad Domus Dominicas currimus, corpora humi ſternimus, mixtis cum gaudio lachrymis ſupplicamus.*

Sed reſpondebunt fortaſſe nonnulli, prolata teſtimonia intelligi debere de *Adoratione* illâ quæ eſt geſtus corporis, ut ita dicam, conſtans ac permanens, ac proinde geniculationem vel proſtrationem deſignans: non autem de hac *Adoratione* ſubitâ & momentaneâ, quam vel ingreſſi, vel miniſtrantes, vel exeuntes è Domo Dei, ſolemus præſtare, corpora paulùm incurvantes, non ea proſternentes, nec etiam, propriè loquendo, geniculantes. Verùm imprimis hoc ſuppoſito, ſed non conceſſo, an non optimè ſequitur Antiquos Patres Deum verſus

Altare

Altare piè & licitè adorâſſe, h. e. in genua, vel in humum, procidiſſe, ergò nobis etiam licere Deum verſus *Altare Adorare*, i. e. inclinatis capitibus, vel coporibus, incurvare? Si illi piè procubuerunt in Domo Domini coram S. mensâ, an nos impij cenſebimur qui Deum coram eâdem adoramus? Si illi olim corporibus ſuis, quaſi tot lapidibus humi ſtratis, & pavimento affixis, Deum proni coluere, quod ad ſummum *Adorationis* gradum ſpectat; an non licebit nobis coram eâdem Majeſtate comparentibus, corpora parumper incurvare, quod ad inferiorem *Adorationis* gradum pertinet? Certè ſi ob iſthoc facinus oportet vapulemus, æquum eſt ut *in nos cudatur faba* potius, quia non procidimus, & proſternimur, quàm quia inclinatis corporibus adoramus; cùm ſcilicet vitio vertendum eſt nobis, & dedecori, quòd Antiquorum reverentiam

non

non plenè imitemur, laudi autem tribuendum, qnòd ad eorum pietatem & cultum, aliquâ saltem ex parte, componi annitamur; sed non opus est consequentis in re tam liquidò apertâ. Etenim, ut taceam, *Adorationes* hasce, de quibus agimus, in ipsis verbis priùs citatis rotundè & manifestò designari, ipsæ profectò rubricæ & regulæ, quas in libris *Liturgicis* legimus, satis exponunt sensa & mentem Antiquorum Patrum, indicantque eos inter orandum non solùm coram *Altari* vel genua flexisse, vel corporibus humum strauisse, verùm etiam capita & corpora paulisper, pronorum ferè instar, sæpiùs inclinâsse, quod propriè est adorare. In *Liturgiâ* quæ titulum *Sti Chrysostomi* præ se fert, jubent Sacerdos & Diaconus, in Divinis Officijs peragendis προσκυνήματα ποιεῖν ἐμπροσθεν τῆς ἁγίας τραπέζης

ad minimum quadraginta: eas etiam in omni Antiquâ *Liturgiâ*, quam mihi contigit evolvere, licèt non ad tantum numerum, ſemper præcipi, notius eſt quàm ut examen ſubire mereatur. De ijs verò in noſtrâ hodie *Liturgiâ* altum eſſe ſilentium, ne regeret quiſpiam: etenim ſuperfluum duxerunt ritum illum, tunc dierum uſitatiſſimum, atque omnibus notiſſimum, præcipere. Idem omninò aſſerendum conſtat de pulſatione organorum, de hymnis & canticis, de fractione panis, & effuſione vini in *Sacramento Altaris*, dum ipſa verba inſtitutionis & conſecrationis attentè proferimus, & multis alijs, quæ licitè & piè peraguntur omnia, atque præcepto explicito Eccleſiæ, ex ſolâ vi & virtute Catholicæ conſuetudinis, quæ præceptum Eccleſiæ implicitum ſemper connotat.

Conſuetudinem hanc *adorandi* Deum

versus *Altare*, cum ipsis Antiquæ Ecclesiæ primordijs exortam, ad æuum usque præsens in *Liturgiâ* nostrâ perdurare testantur ritus *Liturgici*, & Sacræ Formulæ in solemni Regum nostrorum coronatione observandæ, & hactenus semper observatæ; in quibus *Rex* ipse semel atque iterùm, *Archiepiscopus* verò *Cantuariensis* sæpissimè jubetur *Deum coram Altari demissè & humilimè adorare.* Idem testantur *Illustrissimi Dni Commilitones Ordinis Georgiani*, qui *Deum coram Altari adorant*, vigesies vel sæpiùs corpora incurvantes, dum illa sacra solemnia magnificè peraguntur; Etenim ita jubent Antiqua statuta, quorum observationem sanctè promittunt, ut *Adoratio illa fiat humilimè, more Ecclesiasticorum virorum.* Idem testantur Ecclesiæ omnes, quas vidi, Cathedrales & Collegiatæ, in quibus Canonici nonnulli, majores & minores, Deum, eo more inclinati, ado-

rant. Siquis adhuc plura desiderat, illum ego, angustijs jam præpeditus, remitto 1. ad omnes *Liturgias*, tam *Latinas*, quàm *Græcas*. 2. ad ritus alios qui absque illo de quo agitur nunquam fuerunt peracti, nempe *Altare osculandi, manum & caput ad illud admovendi, ad Altare, tanquam ad Asylum, confugiendi*; in quibus omnibus, ad *Altare* appropinquantes eum, cui illud sacrum est, semper ita inclinati, adorârunt, 3. ad Decreta Pontificum & Episcoporum, 4. ad Acta Conciliorum plurimorum, tam Generalium, quàm Nationalium, 5. ad statuta Ecclesiarum & Collegiorum, etiam apud nos, in his verbis. *Omnes Chorum ingredientes incurvent sese versus Altare*, 6. & ultimò, ad perpetuam praxin & consuetudinem sanctæ Christi Ecclesiæ, per orbem terrarum Catholicæ. Si hiſce omnibus (quæ non licet jam fusiùs explicare) strenuè adhuc (ne dicam

cam pertinaciter) contraniti velit; attamen Ecclesiam in Cœlis beatam, & triumphantem, ad quam anhelamus omnes, moneo saltem ut imitetur; ibi Animæ sub *Altari* positæ clamant voce magnâ; ibi suffitus multi cum precibus sanctorum offeruntur super *Altare* aureum; ibi Angelus metitur Templum & *Altare*, & eos qui adorant in eo; ibi denique (referente hæc omnia *S. Io-* c. 11. *hanne Theologo*) *procidant* 24. *Seniores*, *& adorant viventem in sæcula* 16. *sæculorum*. Fiat voluntas tua sicut „ in Cœlis, sic etiam in Terrâ, Do„ mine, ut ad sanctissimos istos Senio„ res omnes nos Ecclesiæ filij natu mi„ nores tandem aggregati, Deum Pa„ trem, Filium, Spiritum sanctum, „ unà cum illis inclinati, proni, ve„ nerabundi, procidentes, strati, in „ æternum adoremus. Faxit Deus per „ Iesum Christum Dominum & Salva-

„ torem

„ torem noſtrum, cui, cum Patre &
„ Spiritu Sᾶto, ſit omnis honor, laus,
„ gloria, gratiarum actio, nunc & in
„ ſecula ſeculorum. Amen.

Deus Opt. Max. benedicat nobis & Eccleſiæ ſuæ Catholicæ, Auguſtiſſimo Regi Carolo, Sereniſſimæ Reginæ Mariæ, Principibus, Clero, Proceribus, Academijs, Populo uniuerſo, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

✠

Deo Gloria.

UNIVERSITY
LIBRARY
CAMBRIDGE

Versus ——

Scabellū pedū. Ps. 132. 7.

Nubē. Exod. 34. 5, 8.

Artā. Ps. 28. 2.

Templū Sanctū. Ps. 99. 5. 7. } Ps. 137. 1, 2. 134.

Hierusalē. 1 Reg. 8. 44 &c. }
Dan. 6. 10. }
1 Esdr. 4. 58. }

Ps. 137. 7.
— 28. 2.
— 99. 5.
Exod. 34. 5, 8.
Ps. 5. 7.
— 138. 1, 2. 134.
1 Reg. 8. 44 &c. }
Dan. 6. 10. }
1 & Esdr. 4. 58. }

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

— Cœlos, sidera intuemur, oculos & manus attollimus 13.

— facies galeris obtegunt — 14

Adoratio, ex tribus actibus cōponit. 15

— quatuor modi — 17.

— incurvatio corporis 18

— legitime, piè, optimè fieri versus Altare. 21. &c.

θυσιαστήριον
ἱερὰ τράπεζα } 34

cōparat. inter Altare sanctū-sanctorū 34

— & inter Baptisteriū & suggestū. & Fontē 35-6-7. & Altare —

Sacrāctū tremendū 37-8.

— da aliqd in Domo Dei, sanctius altari, & muta consuetudinē. 39, 40.

primitivæ Ecclæ semp fuisse morē [illegible] 5

Altaria primitus vers-Orient constructa. 7

Græcæ Liturgiæ. 44.

42

Corā S.to Altari adorari

1 Reg. c. 8. 22
2 — 18. 22
2 chron. 7. 3.
— 32. 12 } 47.

Solomonis & Danielis praxis 48.

p omniū sæculorū series ad nostra usq; tempora p duravit, adorat versus Altar } 48. 49.

προσκυνήματα μετανοίας. 52.

à Patribus Græcis 49.
— Latinis — 54

Rubricæ & Regulæ Liturg — 58.
in nostrâ — altū silentiū, undè 59-60 61

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE